



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. CXXV. Rossanen. An præmoriente substituto, pupillaris substitutio
caducetru, vel potiùs transmittatur ad substituto hæredes sanguinis, vel
etiam extraneos, ad text. in l. qui patri ff. de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

dom diligentissimè providit super litibus aliisque minutis, ideoque nulla penitus verisimilis ratio suadere videbatur, quod si in animo habuisset faciendi substitutionem pupillarem directam, ac disponendi etiam de bonis propriis pupilli, id non expressisset, quinimò expresserit contrarium, restringendo dispositionem ad bona propria, magna siquidem differentia est inter legitimam quæ in effectu est de bonis testatoris, & ista bona quæ verè tunc non erant sua; Hæc discurrebam, incertum verò est quid sequutum sit, neque maturum iudicium desuper efformavi.

ROSSANEN.

INTER

ORATORIVM SANCTI IOANNIS

&

SIGISMINAM CERENTINEAM.

Discursus pro veritate in casu concordato.

An præmoriens substituto, pupillaris substitutio caducetur, vel potius transmittatur ad substituti hæredes sanguinis, vel etiam extraneos, ad *text. in l. qui patri ff. de acquir. hered.*

SYMMARIYM.

- 1 *Falsitas.*
- 2 *Substitutio pupillaris transmittitur ad substituti præmoriens hæredes ad text. in l. qui patri ff. de acquir. hered.*
- 3 *In quibus casibus id limitetur remissivè.*
- 4 *Derivatione in qua dicta transmissio fundatur.*
- 5 *Vocatio hæredum substituti quid in proposito operetur.*
- 6 *Sub hac vocazione an veniant omnes vel solum hæredes sanguinis.*
- 7 *Ubi etiam venient illi sanguinis tantum. limitatur, ubi verba sunt generalia, vel adest verbum saccessores.*
- 8 *Item ubi substitutus est extraneus, Et quando hic dicitur talis.*
- 9 *Vel ubi substitutus verisimiliter non sperabat filios.*
- 10 *Quod favor pia causa prevaleat favori matri.*
- 11 *Datur distinctio in proposito considerandi qualitatem hæredum, in quos hæc transmissio fiat.*
- 12 *An existentia matri in medio faciant cessare dispositionem text. in d. l. qui patri.*

DISC. CXXV.

1 *Ioseph de Martinis, in ejus testamento hæredes æqualiter instituit Dominicum filium ex Sigismina uxore procreatum, & Fabritium ipsius testatoris germanum fratrem, quem ejusque hæredes & successores substituit dicto Dominico in pupillari ætate mortenti, vel etiam quodcumque sine filiis legitimis & naturalibus ex corpore descendens.*

Obiit deinde Fabritius condito etiam testamento, in quo hæredem usufructuarium instituit dictum Dominicum nepotem, proprietarios verò ejusdem Dominici filios ex legitimo matrimonio procreandos, & quatenus isti non nascerentur, vel nati decederent, mandavit ex ejus bonis erigi Oratorium cum onere celebrationis Missarum juxta modum ac numerum ab eo præfinitum, cumque subsequuta esset etiam dicti Dominici mors in pupillari ætate; Hinc orta est controversia inter dictum Oratorium seu ejus executores & prædictam Sigisminam Dominici ultimo defuncti matrem jam binubam, ista prætendente invaliditatem testamenti dicti Fabritii, quo posito idem Dominicus fuisset ejus intestatus successor, & quod quatenus dictum testamentum subsisteret, ad huc tamen sibi debita esset successio in bonis Dominici filii effectis liberis à substitutione per prædecessum substituti caducata; De primo autem puncto habetur in sua materia *sub tit. de testamentis*, Super secundo verò caducationis requisitus de meo sensu pro veritate edidi discursum, ut sequitur.

Pro transmissione in nostris terminis punctualibus habemus *text. expressum in l. qui patri ff. de acquir. hered.* cum quo transeunt communiter *ibidem Bald. Alex. Castr.* & alii cum ulati per *Mamio. de conject. lib. 11. tit. 20. nu. 13. Merlin lib. 2. controv. 1. nu. 25. & sequen. latè Noal. de transmiss. casu 7. nu. 11.* atque tanquam regulam indubitata admittunt *Angelin. & Riminald. jun. conf. 638. & 639. & Menoch. conf. 417.* qui omnes consuluerunt in eadem causa, eandemque regulam admittit absolutam *Castr. conf. 114. nu. 5. lib. 1.* neque videtur de illa posse dubitari, quoniam textus est clarus, ejusque dispositionem non esse exorbitantem sed justam ac rationabilem firmant Doctores, ut rectè observat *Merlin. ubi supra*, ita ut super impugnatione regulæ nullatenus videatur immorandum.

Limitant illam Doctores in pluribus casibus, quorum aliquos congerit *Noal. de transmiss. dicto casu 7. n. 16. & sequen.* aliosque observant *Castr. d. conf. 114. Riminald. jun. & Menoch. locis citatis*, idè videndum est, an versemur in aliquo casu limitato, qui nostris terminis possit applicari.

Duas tribuit limitationes *Paul. de Castr. dicto conf. 114. num. 5.* ex quibus in suo casu putat non intrare dispositionem dicti textus; Primam scilicet, ubi substitutus qui testatori coheres erat cum pupillo vivens non adierit testatoris hereditatem, quæ limitatio non intrat in casu nostro, quia Fabritius adivit hereditatem Iosephi; Et secundam, ubi substitutio non est universalis, in qua *Castr. dicit* procedere dictam textum, sed est particularis, & hæc pariter nullatenus applicatur, quia sumus in institutione & substitutione universali, ergo dictum consilium *Pauli de Castr.* nil pertinet ad istam causam.

Alii verò, nempe *Riminald. jun. Angelinus & Menoch.* atque ad istos relative *Fusar. quest. 164. n. 40.* dicunt transmissionem deductam ex dispositione *text. in d. l. qui patri* procedere ex præsumpta voluntate testatoris, quæ præsumptio cessat, ubi constat de contraria voluntate per veras probationes vel fortiores præsumptiones, & idè cum in eo casu testator substituerit masculum, quatenus supereset, eoque non extante substituerit feminam, dicitur per allegatos Auctores non posse prætendi transmissionem substitutionis in hæredes masculi, quos testator noluit & exclusit, dum non existente masculo vocavit feminam, & sic nunquam testatoris præsumptam voluntatem talis hæres habet.

Ibid

Istud est argumentum prædictorum Doctorem, sed quicquid sit de talis assumpti veritate, de qua etiam satis dubitarem, quia transmissio pluraliter fundata est, non in præsumpta voluntate testatoris tantum, sed potius, vel in potentia juris accrescendi, quod etiam præterea disponens voluntatem operatur, Vel in specialissimo favore pupillaris substitutionis, nè tabulæ pupillares intercidantur; Attamen quando etiam admitatur, non applicatur casui nostro, quia persona substituta non est diversa ab ea, ad quam textus prædictus vult fieri transmissionem, dum testator substituit eosdem substituti hæredes, ad quos absque illius dispositione transmissio fieret ex potentia legis, & sic intentio legis & hominis non diversificant, ut erat in dicto casu, sed potius conjunguntur, atque unitæ tendunt ad eundem finem conservandi tabulas pupillares, undè videtur, quod aliud testator non egerit, vocando hæredes ac successores substituti, nisi coadjuvare legis dispositionem, eique se conformem reddere, ac facere expressam illam voluntatem, quæ ex legis potentia diceretur tacita & præsumpta, propterea videmur esse in terminis fortioribus & clarioribus, neque videtur quomodo id, quod clariorem, ac magis certam transmissionem causat, illam destruere vel obscurare debeat.

Non obstat, quod quando testator vocavit hæredes Fabritii, intellexerit de hæredibus sanguinis juxta sententiam *Castrens.* dicto *conf. 114. num. 5. ver.* Hoc est videndum, cum aliis in hoc proposito cumulat *per Noal. cas. 1. numer. 94.* quoniam ista conclusio non caret contradictoribus, quos deducit idem *Noal. ubi supra, & cumulat Fusar. quest. 339.* atque sub nomine hæredis, quoties non agitur de feudis & materiis differentibus, sed indifferentibus venire etiam extraneos verius dicit *Rot. in Avenionen. fideicommissi 30. Aprilis 1646. & 27. Junii 1647 Verospia decif. 401. par. 9. & decif. 98. par. 10. recent.*

Sed quando etiam conclusionem admittamus, illa plures recipit limitationes casui nostro applicabiles, quarum prima est, ubi testator vocasset hæredes cum aliquo verbo universalis, ut ad propositum transmissionis plures cumulat *Noal. d. casu 1. numer. 98. & generaliter Fusar. dicta quest. 329. num. 34. & 39.* Istam verò generalitatem in casu nostro habere videmur, dum testator non fuit contentus vocare solum hæredes, sed etiam successores cum copula, & quæ operatur vocationem omnium etiam extraneorum, ut magis communem dicit *Fusar. dicta quest. 339. nu. 12.* Dictumque verbum *successor*, unitum cum verbo *heres* per copulam est tantæ potentia, ut etiam successores particulares comprehendat *Cavaler. dec. 437. num. 3.*

Secunda limitatio est, ubi substitutus est extraneus testatori, ut deducit *Noal. dicto casu 1. num. 96.* & in his terminis pariter versamur, quia non est de descendentes; Licet enim sit frater, attamen in hac materia, exceptis filiis & descendentes, omnes alii veniunt appellatione extraneorum *ad not. in l. cum avus, & l. cum acutissimi cum satis notis concordan.*

Tertia est limitatio, ubi substitutus de tempore testamenti erat talis, quod verisimiliter testator in eo non sperabat filios vel descendentes *Noal. dicto casu 1. num. 97.* ex pluribus quos allegat præsertim *Castrens. conf. 45. volum. 2.* atque ista limitatio mihi satis quadrat, quia cum de tempore testamenti Fabritius haberet uxorem neque filios, atque testator sciret illum esse virum pium ac probum, rectè prævidit, quod moriens non esset reliquus hære-

dem, nisi causam piana, vel personam habentem, in quam potius, quam in filii pupillares, hæredes prudenter putavit suam hæredem debere devenire.

Idque eventus comprobavit, quia Fabritius substituit causam cum onere militari pro beneficio animarum, undè non solum intrat privilegium piæ causæ, ut habeatur loco filii in omnibus, quæ sibi possunt convenire, sed etiam tacite voluntatis, undè cessant omnes meditationes, quæ per aliquos Doctores hactenus prolent pro matre à filii lucuosa hæreditate non attendenda, quia probabilis omnino est, ac magis quam in bonis succedere Oratorum pro matris lebrandis pro suffragio animæ ejusdem testator ac suorum, quam uxorem binubam, ut scilicet vir impingetur.

Præterea aliud est considerare casum, in quo exclusa regulariter transmissione, illa deducitur voluntate testatoris vocantis substituti hæredes. Aliud verò considerare casum, in quo regulariter de juris dispositione transmissio intrat favorabiliter extraneorum, sed prætendatur illos esse ex contraria voluntate testatoris; In primis casu loquuntur DD. volentes non venire, nisi in his terminis loquitur *Castr. dicto casu 1. num. 16.* quia supponit in casu suo non intrare dispositionem *text. in d. l. qui patri*, in secundo autem casu est dicendum, quoniam nulla ratio legalis naturalis exigere videtur, ut illud verbum, in quo potest esse aptum ad inducendam transmissionem etiam in casu prohibito & excludente, causare exclusionem transmissionis in casu quo illam inducit, cum ut dixi, testator videtur se conformasse cum dispositione juris, cum in dubio censetur se conformasse *Noal. d. casu 1. num. 16.*

Quæ autem dicuntur de matre existens in medio, ut faciat cessare dispositionem textus *in d. l. qui patri*, procedunt in pupillari tacita contenta dicitur *gari vel compendiosa*; Et in his terminis loquitur *Trentacing. de substit. par. 4. cap. 14. num. 19.* referunt *Fusar. quest. 164. numer. 9.* & *Noal. d. casu 1. num. 12. in fine*, & habentur procedentibus; Sed hoc nihil ad punctum, quoniam sumus in casu, dum habemus pupillarem expresse, ultra quod etiam in casu tacite, intraret contentio transitus matris ad secunda vota; Sed quæ instantaneæ forenses occupationes non pariter transgressione ultra prædictam necessitatem, ideo assumo id discutiendum, dum, ut dixi, non intrat in casu tacite sed expresse; Et ex his valde dicitur quod dispositio *text. in d. l. qui patri* non possit rari, & ita &c.

NULLIUS SEV &c.

FIDEICOMMISSIS

Discursus pro congressu.

De tacita pupillari comprehendente vulgari quando intrat necesse est, quid de fideicommissaria sub eadem vulgari contenta; Et præsertim